

www.e-rara.ch

Historia Hebreorum

Sabellicus, Marcus Antonius

[Basileae], 1515

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1793>

Hierosolimitanum excidium: quod Titus Vespasiani filius quadragesimo a Christi passione anno perfecit

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EXCIDIVM

intulit, etsi ne illud quidem satis fortiter. Sed quod impius Nero, tam Tacitus Cornelius delirus, qui flagitiosum genus hominum Christianos vocat, sed cur non vocet, qui suorum popularium diis infesti essent, mallentque deo optimo maximo servire quam Claudio sacrificare, cui defuncto aram & Claudianum flammīnem stulta ciuitas consecrauit, sed partes agere hoc est, non historiam scribere. Finis.

HAEC SVNT, QVAE PRAECIPVA ex Marci Antonij Sabellici Aenleadibus, de Hebraeorū gente ab orbe condito ad Christum/excerpta libuit. Quod reliquum huius gentis est, diligēs lector in libris Bibliacis, Iosepho, Egesippo, & reliquis Sabellici Aenleadibus abunde cōperiet.

HIEROSOLIMITANVM EXCIDIVM: QVOD TITVS VESPASIANI FILIVS QVADRAGESIMO A CHRISTI PASSIONE ANNO PERFECERIT.

Origo belli Iudaici. Vespasianus a Nerone in Iudaeam missus Galilaeam cum magna Iudaeorum strage inuasit, Iosephum historicum coepit. Caput I.

IMPIVM IVDAEORVM SCELVS CVI OBSTRINXIT SE tota gens, quum Christus rex passus est, in causa fuit credo, quod nunc eius terrae status quieuit amplius, sed animi ad discordiam accensi, furialibus stimulis agitati, nunc in se, nunc in alios non prius sauire desierunt, quam vniuersa gens sit cum vrbe excidio dedita, mitto pontificum in minores sacerdotes iniuriam, mutuaque ipsorum ordinum inter se odia,

ciuium factiones, & tyrannos ex factionibus ortas, caedes et latrocinia Hierosolymis & foris constituta, quibus omnia sacra prophanaque foedari contigit. Nec enim talia sunt, ut longam alioqui historiae remorari debeant seriem. Accessit his malis externa iniuria. Cestius florinus (Cornelius Egessum pro Cestio scribit) in Iudaeam a Nerone missus, quum superbe nimis & auare imperium in eam gentem exerceret, factum est ut qui seipsos iam pridem ferre non potuerant, nec Rhomani tulerint imperium amplius, sed velut rabie quadam & furore acti, sumptis armis, vniuersa gens vno tempore rebellauit. Ille quum ad primos motus Hierosolymam occurrisset, conatus est urbem irrumpere. Caterum inde exclusum atque in hiberna abeuntem (instabat enim iam hyems) Iudaei ferocius cohorti, plures sunt dies hostiliter infectati, nunc carpendo a tergo agmen, nunc a lateribus lacessendo, postremo ad ultimos Galilaeae fines compulsum impedimentis exuunt, ex Rhomanis auxiliariis quinque milibus & amplius caesis Tranquillus signum vnum ait Rhomani fuisse adeptum, quod miror Iosephum in suorum laudem penum non posuisse. Nero subita Iudaeorum defectione commotus, flauium Vespasianum, virum impigrum, & iam inde a Britannica Claudii principis expeditione bellica laude clarum quippe quod tricies ad id tempus cum hostibus dimicarat, in Syriam misit, duabus prioribus exercitui legionibus additis, Tito filio inter legatos illi dato, Iudaei interea quia toto oriente (ut

Cestius Florinus

Vespasianus

Tranquillus scribit) constans opinio erat esse in fatis, vt eo tempore ex Iudæa profi-
 ciscerentur, qui inter mortales rerum potituri essent. Id oraculum ad duos Vespasi-
 anos haud dubie pertinens. Iudæi ad se trahentes, reque ab initio foeliciter gesta, supra
 modum elati, maiora adhuc animo præcipientes, tris sibi duces constituunt. Nigrum ^{duos indorum 3.}
 Perattam. Syllam Babylonium & Ioannem Miseum. Horum ductu Ascalonem ^{Ascalon.} vr-
 bem sibi inuisam expugnare conati sunt. Distat ab Hierosolymis locus nonaginta
 millia passuum. Hic duobus prælijs a Rhomano præsidio superati, duo de viginti mil-
 lia hominum cum ipsis ducibus Iudæi amiserunt. Nec multo post Vespasianus filio in
 Alexandriam præmisso, vt duas inde legiones in Iudæam traduceret, ipse ex Acha-
 ia profectus, vbi tum forte Nero sacris erat certaminibus intentus, in Syriam trans-
 misit, eratque quod ad fortunæ mutationem attinet, per id tempus quo ei Iudæa pro-
 uincia delata est, adeo Neroni inuisus, vt a Principis salutatione prohibitus prope
 modum lateret. Erat illi grauis ignominia cum periculo inde orta, quod Nerone conan-
 te/aut discedere esset solitus/aut obdormiscere. Cæterum prouinciã ingressus de-
 creto Galilæam petijt. Est terra hæc duplex. Superior vna, Altera inferior. Vtraque fe-
 rax ac passim culta/irriguaque fontibus, pugnax genus hominum/atque in Iudæis fe-
 rocissimū. Vrbes plurimæ, vicique tam frequentes olim & populosi, vt in singulis mi-
 nimum censerentur quindecim incolarum millia. Fecerant Iudæi castra ad Sephorim ^{Sephorim.}
 urbem eius terræ nobilissimam. Eratque totius rei summa penes Iosippum/virum mul-
 ta eruditione & prudentia præditum/ducem ad hoc ipsum hortatum, vt Galilæam ad-
 uersus Rhomanos tueretur. Cæterum Vespasiano prouinciã ingresso, Iudæi qui
 ad Sophorim stabant/metu dilapsi, alij alio in tutum abierunt. Iosippus cum ea homi-
 num manu/quæ in officio adhuc erat, Tyberiada urbem concessit. Vespasianus inter
 ea Gathara urbem occupat/ad Hiericontem fluuium sitam/olim Hippodion nomi-
 natam, quam Iudæorum odio Rhomanus dux consumpsit incendio, ferroque & ig-
 ni circumiectus vicos populatus. Ioppata/vel (vt Egesippus scribit) Iotopata oppu-
 gnare adoritur. Huc (quia urbis natura & opere esset valide munita) vis Iudæorum
 ingens profugerat. Venerat eo & Iosippus ex Tyberiade, vbi hostem Hipatensibus
 imminere sensit, vt suis auxilio esset. Fuit oppugnatio illa Rhomanis & longa & la-
 boriosa, multique & varij vtrinque conatus extiterunt. Certaminaque circa muros neutris
 intenta. Postremo vrbe potius prodita quam capta, scuitum est in omnem sexum & æta-
 tem ex quadraginta millibus/qui in vrbe fuerant, quum primum vrbs oppugnari coe-
 pta est, vix mille & ducenti viuī venerunt in hostium potestatem. Cæteri ad vnum oc-
 cidione occisi. Ioppatis ferro & igni excisis, Iosippus dux qui media trepidatione se-
 cum paucis in altiore deiecerat specū, indicio proditus/ad Vespasianum perducit-
 tur. Hic affirmare ausus, fore breui/vt ille Rhomano potiretur imperio, quia euentus
 haud multo post rei fecit fidem, non solum veniam meruit/sed benigne etiam & clæ-
 menter est ab eo habitus. Hunc plures Iosephum malunt dicere. Scripsit is græce li-
 bros viginti Hebraicæ vetustatis. Scripsit & Iudaicum bellum, quo Hierosolyma a
 Rhomanis excisa est, in qua rerum relatione vnum præcipuo sequimur, vt in Iudai-
 ca vetustate fecimus. Fuit (vt ipse testatur) Hierosolymis sacerdos/ac Machariæ filius.

Vespasianus totā domauit Galileā. Hierosolyma triplici malo affligebatur. Iudaei magnis cladibus afficiuntur.

Caput II

TOppatis excisis Tyberiadem vltro deditam Rho. victor recepit, hinc multos mortales Tarcheas perfugerāt urbem multo munificentissimam. Sunt Tarchee & Tiberias ad Genesaram lacum, eius aqua dulcis ac potabilis, patet latitudine quadraginta stadiorum/centum longitudine. Hic quia terra & aquis res gerenda erat, iudaei scaphis aduersus hostem vsi nauale praelium ciebant. Vtebantur Romanis in hunc usum structis, stabantque militum robore & armis. Aderant terrestres copiae circa lacum velut in procinctu stantes, quo contigit ut iudaei velut in medio telorum multitudine afflicti, insignem cladem adierint. Pleraque nauigia cum suis pugnantibus media lacu depressa. Alij metu & trepitatione scopulis impulsī naufragio peribant, multi ad terrestrem aciem proiecti, ferro excepti foede trucidabantur. Repletus est lacus cadaueribus accruore foedatus. Sex milia ea pugna & sexcenti perisse dicuntur. Mox Taricheis deditis omnem imbellem multitudinem Vespasianus interfici iussit. Sex milia iuuenum ad Isthmum in Achaia fodiendum misit, quod opus Nero, dum in ea terra fuit/inchoarat. Caetera multitudo (quae auxiliariorum triginta milia habuisse dicitur) sub corona venit. Gamala inde plures dies oppugnata est, in aduersa lacus ora contra Taricheas. Hac loci asperitate & propugnatori desperatione non sine Romanorum clade, pertinacius defensa diu victoriae cursum remorata esset, nisi Titus Vespasiani filius cum lecta hominum manu ex improviso irrupisset, urbem hostemque subita caede perculsum in arcem compulisset, compulsum Rhomanus quia minacius instaret, ad eam desperationem redegit, ut liberos/vxores, seipsos per abruptas crepidines in profundam vallem deiecerint, fuerunt qui ita praecipitati sunt, ad quinque milia numero, quattuor milia caesa, eratque per hanc omnis Galilaea domita, praeter Iscalam, huc Titus a patre cum mille equitibus missus, quia spes deditiois facta esset, sub primum accessum omnem vim abstinuit, ubi vero nox affuit, multitudo ingens. Io, cuiusdam ductu, qui tunc latronum manu locum infederat, tacito agmine Hierosolymam profugit. Postridie semiplenum oppidum deditum. Rhomanus victor, quia iam sanguinis satietas coepat, ab omni caede abstinuit, urbem ne iterum ab hoste occuparet, valido firmavit presidio. Caeteras copias in Caesaream reduxit, quae Vespasianus pater in Hiberna concesserat, proxima aestate Hierosolymam inuasit, quae per id tempus quae hac in Galilea gerebatur, latronum ingens numerus confluxerat. Hi primo occulta moliri latrocinia adorti, inde in caedes & rapinas versi, miseram civitatem multis cladibus immerferunt. Io. profugam ab Istala ducis impulsu (anhelabat is ad tyrannidem occupandam) primo seuitum est in omnem nobilitatem, quae velut rem ad Romanos traheret, alij alia vi sunt crudeliter interfecti. Seuitum in pontifices, templumque sacra & prophana caede pollutum. xij. milia nobilium caesa Iosephus scribit, quorum bona latronibus stultaque multitudini in praedam concessere. Affligebatur itaque triplici malo ciuitas, Romano bello, domestica seditione, & tyrannide in urbe constituta, quam Vespasianus Gadarensium motu ex hibernis excitus. Gaddara copias admouit. Ad cuius accessum multi qui bellum suadebant, perculsi fugam occupant. Caeteri qui pacis & ocij erant auctores, Romano duci portas patefaciunt, demoliti prius muros, ut maior sibi fides haberetur. Vespasianus/Gaddaris.

Gaddaris. De his vide Mat. 8. Luc. 8. Mat. 5.
Rogauerunt Ios. & sorores & fratres illos.
Sed Romani nullis precibus quibus.

Turlog
Tyberias

Nauale

Gamala

Istala

Afflictio

receptis, praesidioque imposito placidum cum tribus millibus peditum, & iusto equitatu ad perfugas persequendos mittit. Quos ille ad Becanabrim vicum affecutus, ad Iordanem fluvium compulit, amnis pluvis auctur vadari non potuit. Gaddarēses desperatione adacti in pugnam vertuntur, sed parum valuit inermis audacia. Tredecim milia caesa sunt. Caetera multitudo perditis rebus/praeceps in Iordanem defiluit, capta duomillia & amplius cum ingenti praeda, multa hominum cadauera vorticoso flumine in Asphaltitem lacum delata sunt. Placidus praesenti successu fretus, aliquot circa lacum loca occupavit, & in his Dilam Iuliadem & Besemothum subegit, & perfugarum vim ingentem, qui ex proximo ad lacum perfugerant, ut in tutiora traicerent loca. Trans Iordanem ad Macherontem usque omnes Iudeorum gentes/romanis armis cessere.

Vespasianus multis peragratis urbibus/Iudumaeam vastavit. Hierosolymam positus praesidijs ad lacus qui hic describuntur obsedit, a suis imperator salutatus. Praefecto Tito bello Iudaico/ipse in Aegyptum proficiscitur.

Caput III

ERantque res Romanae in dicto statu circa Syriam, quum nuncijs & litteris Vespasianus factus est certior. Gallias a Nerone defecisse, Nec multo post/& de eius morte fama perlata est. Ipse autem quia videbat ita fore, ut in tanto motu rerum, status reipublicae esset nullo modo quieturus, pro magno habuit negotio, quod reliquum fuit belli ad exitum perducere, ut si ad res novas consurgendum esset, totum post se orientem haberet pacatum. Ex Caesaria itaque ad prima veris signa/Antipatriden venit. Hic biduo in componenda civitate consumpto/Tamniam processit, qua ultro dedita. Et Iamnam & Liddam recepit. Ad Amatontem inde ventum, circaque Idumaeam hostilis ager ferro est & igni vastatus. Segrabique & Caphartopharne vicis media Idumaea vi captis, supra decem millia hostium peremit, Circiter mille coepit. Ex Idumaea per Iamnam/Toparchiam & Samaritidem, sub principium lunij mensis ad Hiericontem fecit castra, quo Traianus qui sub eo militabat venit cum parte copiarum, omnibus qui ad ima Iordanis loca habitant nuper subactis. Hiericontem Romani cultoribus destitutum intenerunt, quia ad primam appropinquantium hostium famam in asperos se montes proripuerunt, Si qui in urbe reperti sunt, in eorum invidiam qui temere fugam praeceperant/occidioni deduntur. Sedet Hiericon in planicie, cui nudus mons ac sterilis longo praetenditur tractu. Obtenditur & alius illi mons circa Iordanem. His media interiacet planicies. Campum accolae magnum dixere/ad lacum usque Asphaltitem excurrentem ducentorum triginta stadiorum longitudine, latitudo pene dimidio mitior. Duo his locis celebres lacus, Asphaltites, quem Egesippus Asphaltium vocat, & Tyberienensis, contraria inter se natura. Dulcis hic & piscium abundans, salus ille & sterilis. Sed ad Hiericontem fons olim non solum frugibus perniciosus, sed mulierum etiam partibus, omnia pestilenti morbo corrumpens. Mox Helisei prophetae precibus (ut dicitur) saluber factus ab Hiericonijs hospitio accepti. Irrigatio tam foelix, ut ex calicibus palmarum mel eliciatur. Fert alioqui regio mel & balsamum arborem, qua liquor exprimitur nobilissimus. Tamta loci temperies, ut quum reliqua Iudaea niue obtegatur, ibi locorum accolae lino vestiantur. Distant ab Hierosolymis stadia centum quinquaginta, ab Iordane sexaginta.

S in

EXCIDIVM

Iordanē nō in Panio monte aut ex Peneade, vt Plinius scribit/ortū habere Egisippus credidit, sed in Traconitide cētū viginti stadijs a Caesaria in Panio refusionē esse fluminis, nō ortū quod Paleę deiectu deprehenderetur. His locis Vespasianus praesidia aliquot constituit, vt Hierosolymas cōmodius oppugnaret. Occupauit & Gephassium locum ad id quod parabatur peropportunū. L. Annio huc misso, oppidū direptum et incēsum, milleq; Gephasianorum caesi. Eratq; p̄ hāc Hierosolyma Romanis vndiq; circūdata praesidijs, vt iam nihil obscura teneret obsidione, quū ex Italia affertur Otho nem qui Galba caeso imperiū occuparat, a Vitelliōis praelio victū sibi manū intulisse nam Viteliū in Germania imperatōrē appellatū fama aliquāto antea nunciarat. Sed quo tumultuosiores ex Italia nuncijs afferebant, eo maior spes altioris fortunae surgebat animo, verū nihil temere mouēdū ratus in omnem erat Vespasianus occasionem intentus, quā mater est rerum omnium gerendarū. Festinare interea bello defungi, Caesareamq; ex Hiericonte reuersis Accrabatticā Toparchiā subegit & Cosmiticam in montibus. Postremo Vittregam & Vfen oppida, vnde facilis Hierosolymā erat excursus. Cerealis cum parte copiarū circa Idumēam/Capherā/Caphasim & Crebron/Hierosolymis p̄pinqū cōepit, & iam omnibus circa urbē subactis, prater castella quaedam quae adhuc latronū praesidijs tenebant, Hierosolyma dūtaxat erat expugnanda, quum Vespasianus a suis est imperator salutatus. Primus fauor illi est ex Mesia ortus. Etenim quū forte ex Mesiacis legionibus aliquot cohortes, quae Otthoni auxilium ferebant/Aquileiā p̄cessissent. Hicq; Otthonis caede audita/aliquādiu subsedissent, temporum licentiam milites nacti, multa foedaq; in ciues flagitia perpetrarūt. Veriti itaq; ne pacatiore reipublicae statu eorum quae fecissent reddenda esset sibi ratio, in prouinciam reuersi auctores fuerunt suis noui sibi imperatoris deligendi, quod Hispaniēsis primo/inde pretorianus/postremo germanicus fecisset exercitus. Miro itaq; omnium consensu Vespasiani nomen est signis ascriptum, suppressa tamen res est quoad comperit habuere Tiberiū Alexandrum, qui cum duabus legionib⁹ Aegyptū obtinebat, adegisse suos in Vespasiani verba iurare. Is praerogatiue Iudaici exercit⁹ externorum primus accessit. Additus est & Licinius Mucianus, qui Syriae praesidebat. Missi sunt in Parthiam & Armeniā legati, qui Barbaros reges traherent in partes. Praetoriani quoq; sunt ad res nouas sollicitati, qui a Vitelio exauctorati spe dignitatis recuperandae/omnia citius latūri q̄ praesentē rerum statū credebātur, nec multo post Mesiaci exercitus Delmaticū & Parmonicū traxere in sua studia. Sunt adhuc in Hispaniam & Britannia frequētes litterae ad legionarios datae, vt in Vespasiani partibus esse mālent. Ipse haud cunctandū ratus/Titum Iudaico bello praeficit, ipse in aegyptum transgressus est, vt prouinciā ad omnes belli casus opportunā praesidijs firmaret/inde primis tempestatibus Italiam petiturus.

Vespasianus Alexandriā varijs malorū demonū praestigijs illusit/Rhoma proficiscitur, Titus interea Hierosymam inuadit, eius excidij causae referuntur.

Caput

III

Uespasianus ex Alexandria Romā decessurus, magnā copiarū partē qbus fuerat iudaico bello/vsus/Tito filio reliquit, vt cū ea gente aliquādo debellaret. Mirū quātū praestigiorū ipsius principis & aliorū oculis offuderint mali dae

praestigijs illudim Vespasianus.

Gephassium

Vespasianus qm obligat in Imperatorem.

mones p̄ id t̄ps quo ille Alexandriā fuit, Nā & Basilides libertus q̄ aberat visus est illi sacrificiū mīstrare, vt regiū nomē futuro imperio omen fecerit, & mox paulo illā p̄ tribunali sedentem, duo e plēbe viri adierunt/opem sibi orantes a Serapide demonstratam. Hic oculis captus, ille debili crure, per quietem se monitos dicere fore, vt cæco dies illucesceret, si ipsius oculos spūto Vespasianus inunxisset, Alterq̄ firmior fieret/ si calce contingeretur, quum vix fides rei esset, nec res vllō modo successe-
sura crederetur, ne experiri quidem a principio Vespasianus ausus est. Caterum amicis hortantibus/vtrq̄ pro cōcione tentauit, nec defuit euentus. Verebatur scilicet de-
mon ille, quem sub Serapidis nomine colebat Aegyptus errorum mater, ne piorum
ecclesia recens ibi constituta, ex vetusto illo se exturbaret domicilio, prauiditq̄ fu-
turum, vt duo ægri vterq̄ sua defuncturus esset clade, Impulitq̄ prouide ambos, vt
a Vespasiano opem implorarent, vt quum euentus secutus esset, eius fauore qui erat
rerum potiturus/oraculi maiestas augeretur, Nec ex ipso imperij fastigio/ad veræ lu-
cis fulgorem animum intenderet, nisi forte aliquis interpretetur, partam fuisse Ve-
spasiano diuinitatem, quia quum superioribus bellis, tum Iudaico quod gerebatur,
multum humani sanguinis haussisset. Sed alijs omnino gradibus cœlum scanditur. **T**u-
tus/quum pater adhuc Alexandriæ esset, ad bellum conficiendū in Iudæam est reuer-
sus. Fuerunt illi ab initio quattuor legiones, tres quibus pater ad bellum administra-
ret. & vna quæ sub Cestio Gallo fuit. Præfuit is Syriæ/vt Cornelius scribit, per id tē-
pus quo Egeffus/cognomento Florus, p̄curatorio nomine Iudæā administrauit. Af-
fuerunt & auxiliaries copiæ ex Aegypto & ab Euphrate vsq̄, amicisq̄ regibus. Copi-
as igitur Hierosolymā admoturus, vt vrbis sitū exploratiōrē haberet, castris ad Gabe-
saul vicū factis (distat locus minus quattuor millibus passuū ab Hierosolymis, inter-
pretaturq̄ Saulina vallis) cum sexcentis ad urbem equitibus processit. Hic cum mœ-
nibus contemplabundus obequitaret, paululum a suis discretus/subita eruptione est
ab hostibus circūuentus, atq̄ ita a suorū equitū ala exclusus p̄ confertissimū Iudæorū
agmen, telis vndiq̄ in vnū coniectis/ad suos incolumis euasit. Inde ad Scopos castra
fecit, septem ab vrbe stadia, partitusq̄ copias, urbem haud vno loco circūsedit. Iudæi
& si intestina discordia tenebātur, lacerabāntq̄ corp⁹ ciuitatis tres inter se inimicæ facti-
ones, quarum vna templū obtinebat, cuius Eleazarus Simonis filius erat princeps.
Heloteq̄ cum eo erant latronū manus ciuib⁹ infestissima. Inferiōrē partē vrbis, alte-
ra Ioannis Gyssthalis Galilææ oppido perfugæ, auctoris & capitis omniū malorum.
Simon superiora infederat loca cū viginti Idumæorum millibus, qui ad urbem çelota-
rum latrocinio liberandam accersiti (quia vltro nō acciperētur) vi urbem irruperunt.
Miretur hic aliquis quomodo acciderit/vt eo potissimū tempore quo euidentē vrbis ad
Romanos imminēbat excidiū, tot simul discordiæ exarserint, aut cur si prius ortæ nō
p̄ id tempus remiserint. Poterūt scio alijs aliæ causæ videri, ego omniū quæ esse potue-
runt, vt primā ita verissimā semp̄ duxi, q̄ Egisippus existimasse videtur publici scele-
ris vltionē, vt furiarū stimulis agitata ciuitas, iā inde a nefaria Christi saluatoris cæde
nuncq̄ a discordia & seditione amplius quieuerit, quoad vltimū sit excidiū passa. Alte-
ra illi causa ex pximo bello orta ē. Iudæi Vespasiani armis tota Galilæa pulsi, iuxta bo-
ni maliq̄ pmixta hominū colluione Hierosolymā petiere. Tum vero multi aut ege-
S iiii

S ၁၁၇

EXCIDIVM

state adacti, aut temporis licentia freti, occulte prius his qui minus poterant, coeperunt vim inferre. Mox impulsores scelerum & duces adepti, in omne foedum facinus abierunt. Constitutumque est palam latrocinium in urbe, omnisque nobilitas ab initio absumpta, inde praedae cupiditate in ceteram multitudinem sautum.

Iudaei in Rhomanos erumpunt, sed victi in urbem aguntur, vallo cinguntur. Vndique dira fame misere excruciantur. Varij vtrinque conatus habentur.

Caput

V

Erat ciuitas dictis cladibus afflicta, & velut in medio latronum destituta, quum Titus eo copias admouit. Ceterum quicquid diuersae factiones inuicem sauirent, saepiusque in urbe & circa templum inter se tyranni dimicassent, sub Romanorum tantum accessum sumptis armis per partes urbem tueri adorti sunt. Factus itaque impetus est in eos qui ad Elaconem castra muniebant. Est is mos contra urbem ad orientem sollem Cedrone valle interiecta, ut ait Iosephus. Iudaei adeo ferociter se inuexerunt, ut Rhomani intermissa opere iam fugam circumspectarent, quum Titus affuit, tum ducis praesentia redintegrata pugna compulsi sunt hostes, ac precipites acti in profundam vallem, Rhomanis temere persequentibus, hic in ima valle diuersa certaminis forma incidit. Iudaeis per decliuia aduersi motus omni fariam tela in subeuntes ingerentibus, vi tamen multa praecipuaque Titus ferocia in urbes acti sunt. Incidit prima obsidio in aëymorum dies celebrari id sacrum quartodecimo Aprilis, quo contigit ut super eam multitudinem quae priore anno ex Galilaea & fere Iudaea, partim belli metu, partim iniuria suis sedibus in urbem confluxerat, innumerum mortales sub id tempus quo obsideri coepta est, sacrorum causa Hierosolymam venerint, quam Titus occasionem adeptus, videtur mihi ab initio festinasse urbem vallo cingere, ut fames citius sentiret. Fuerunt itaque multi hincinde conatus/praeliaque fere assidua, priusque sit hostis vndique vallo septus. Iosephus auctor est, quattuor praetoria circa urbem erecta, vallumque in orbem deductum quadraginta stadiorum ambitu, quum urbis circuitus trium & triginta esset, quo apparet opus profundarum vallium interiectu continuari non potuisse, quod idem auctor significat. Mirum dictum ac tale ut vix fide inueniat relatio, quod Iudaei in aperto vitae periculo constituti, & quum foris ab hoste sibi & urbi exitum imineret, domi fames omnia vastaret, nam id malum continuo affuit, tanta tamen libidine tenerentur, per scelus & flagitium omnia perdendi, ut inter se hostiliter tyranni dimicarerent, editaque sit caedes circa templum teterrima. Cingebant Hierosolyma triplici muro, ea parte qua adiri poterat, huc omnis Rhomanorum incubuit conatus, Huc agger & aries admotus. Postquam longa & dura certamina duplex est murus expugnatus, quo tempore interuallo vis hominum incredibilis fame & rerum omnium inopia est (ut Iosephus scribit) extincta, certasse inter se armis domestici dicunt, si quid esculenti temere ad manus venisset. Filij ex ore parentum cibum rapere, nec frater fratrem miserari/nec sororem soror, quisquis in ea desperatio ne rerum malle sibi quam alij consultum, Talento veniunt modius tritici, multi bubulum fimum mādere conati sunt. Alij cloacas rimari, cibosque inde obscenos sibi quærere, coria scutis detracta, & calciorum aluta fuit multis cibis, foenique laceramenta quibusdam victui fuere. Perijt interim inedia tanta vis mortaliū, ut Aninus Eleazar filius, qui medio tempore obsidionis ad Titum transfugit. CXV. milia cadaverum in urbe elata dixerit. Egippius vna dumtaxat porta tot funerum millia elata auctor est, defunctaque alioqui ta-

Obsidio prima in
aëymorum diebus.

Hierosolyma triplici
muro munita.

FAMES

si aut simili clade ad sexcenta hominum milia/Rhomanis Hierosolymæ assidētibus. Tenebant adhuc Iudæi extra muros Anthoniam/locum in speciem arcis munitissimam. Fuit olim loco nomen Mastro, atq; aliquāto prius Baris fuit, vt significare videtur Egesippus, arcem ad Aquilonē obuersam Herodes qui primus peregrini sanguinis in Iudæa regnavit/multa ope munit, atq; in Anthonij triūphij gratiā appellauit Anthoniam. Tenebant Iudæi & templū quod Ponte iungebatur vrbi, in quib⁹ expugnandis multo plus est laborum q̃ alibi exhaustum. Anthonia prius oppugnata est, multiq; & varij extiterunt vtrinq; conatus. Rhomanorum plariq; qui temere muros subiere telorū multitudīne/plurimūq; grandioribus saxis sunt atrociter afflictī, & bellica opera quæ muris admovebant/eodē tēpore corrupta.

Titus eleganti oratione suos ad fortitudinē & Anthoniæ arcis expugnationem hortatur, Anthoniam capit, Templum deflagrauit, Fortitudinis quædam exempla, Sæuitū est in sacerdotes.

Caput

VI

Titus quāq; fames breui erat hostem domitura, longioris tamen moræ impatiens/suos adhortādos ratus, vt totis semel viribus locum inuaderent, ita pro concione est milites affatus. Omnes in gerendis rebus adhortatio cōmilitones, procul dubio superuacua sit nisi quum pericula adēda sunt. Tum vero illud primum postremumq; censeo militibus monstrandum, nihil tam fortem virum decere, q̃ pro gloria dimicare, quæ eo plenior venit, quo maius certantibus proponitur periculum, Nunc quia non nisi per summum certamē hoc latronum receptaculo potiturī sumus, qui vos sitis consyderare potius q̃ quibus cum res gerenda est, quāq; hæc Iudæorum patientia et in duris rebus constantia non ex virtute oritur/sed desperatione certaq; moriendī cupiditate, furor animum omnesq; vires corporis perturbat, vt nec quid agi oporteat videre possit qui ita affectus sit, nec quum res est gerenda multum secum fiduciæ affert in pugnam, quippe qui vel paruis momentis fractus ruat. Vos contra & bella tractare & vincere sueti, & potestis & debetis imbelle hominum genus contemnere, in pace seditiosum/in bello ignauū. Nec quia muro se tueatur vobis formidandū sunt, quum fame/vigilijs/vulneribus confecti vmbra sint verius q̃ homines, quāq; si valido essent corpore turpissimum sit vobis Iudæos ignauum genus hominum toties victos a Rhomanis nunc demum non posse vinci. Ite & quando iam victoria in manibus est (Vno enim hoc loco nil dubium est, quum & vrbe sumus confestim potituri) ite rursus & iam captas capite, tantum audacia opus est, cætera virtus peraget. Nemo fortis omnia pericula meretur, quāq; si quod nolim cadendum sit, an quisq; vestrum est tam vitæ cupidus, vt non malit pro patria/pro imperatore suo mortem occumbere/q̃ pro ignominia viuere. An ignoratis virorum fortium animas, eorum dico qui fortiter dimicando mortem occubuerūt, puro æthere post mortem collocari, vbi hæroum beatorumq; sedes esse dicuntur, quæ vero per ignauiam & desidiam corporibus soluuntur, sub terras ire, eundemq; memoriæ esse terminū/qui sit & vitæ. Erit itaq; non paruum præmiū fortibus si ceciderint, coelū & æternitas noīs, me autem pudeat semper meæ ingrati tudinis, nisi sedulo dabo operam, vt qui primi ho-

S v

stium muros conscenderint, ita dignitate & opibus floreat, ut omnium iudicio sint quæ beatissimi. Et Titus per hæc suos est ad Anthomæ expugnationem hortatus. Caterum præsens periculum quod a difficili oppugnatione intendebat in causa fuit, ut pauci omnes, non reperti fuerint, qui facinus se tentaturos professi sint. Sed in per paucis Sabinus quidam intrepide periculum adiit, qui quum in summum murum euassisset, deiectus ad ima hostium telis obrutus prius periit quam periculo eximi potuerit. Caterum biduo pauci qui in statione erant, quarta noctis vigilia per ruinas quas bellicæ machinæ fecerant, silentio insinuati, priusquam sentirentur in summum euasere, ibi custodibus cæsis, inde alijs atque alijs sese ingerentibus arcem Rhomani tenuerunt. Iudæos ad tubæ signum repente excitatos semisomnes victor miles obtruncat, Plærique e muris precipitati, partim suo pondere afflicti sunt, partim beneficio noctis in urbem abire. Secutus inde alterum certamen cum his qui templum obtinebant. De loci apparatu satis sit vno adhuc loco dixisse, eoque in hunc multum diuerso. Habuit in animo Titus illud ab omni iniuria tueri religionem credo, sed multo aliter euenit, Nam post aliquot certamina, quum hostes neque hortationibus neque minis ad declinationem compelli potuissent, quia locorum munitioibus freti, nulla vi nisi fame (quod longum erat) aut flamma expugnare posse putabant, igni a Gregario milite temere in sacrum coniecto, confestim est incendium conflatum, quod templum omnium quæ ad id tempus fuerat augustissimum miserabiliter deflagrauit. Qui superiora obtinebant, pars vna in urbem refugerunt. Sed multo plures ferro aut flamma extincti sunt. Extiterunt in quibusdam præclara fortitudinis exempla, suprema illa templi expugnatione. Pedanius Rhomanus eques hostem circa templum violenter arreptum, ad imperatoris conspectum sublimem detulit. Miles cui Longo fuit nomen, a suis loci iniquitate exclusus, iudæis incolumitatem pollicentibus sibi manum intulit, maluitque fortiter mori quam hostis beneficio viuere, alius qui deditionem simili casu fecerat, quum velatis oculis staret ab hoste feriendus, ad suosque proripuisse, dum percussor ferrum expediret, discinctus armis a Tito cum ignominia dimissus est. Acorius ex eminenti parte templi se precipitaturus (Urgebat enim vis hostium) Luci inquit hæres meus esto, si me cadentem exceperis, ruens suo lapsu heredem peremit oneri subeuntem, ipseque seruatus est. **Sacerdotes** sibi vitam petierunt, nec impetrarunt. Negauit Titus templo & sacris extinctis opere precium esse sacerdotes viuere. Estque adagij huius auctor Egesippus. Incidit templi excidium in decimum Augusti mensis diem, quo olim a Babylonio rege fuerat concrematum, velut fatalis fuerit lux illa, loco alioqui æternitate dignissima, intercurrerantque anni a prima ipsius constructione, cuius Salomon rex auctor fuit, usque ad secundum Vespasiani principis annum, quo est penitus excisum, mille centum triginta & menses septem. Ab eius instauratione quo in secundum primi Cyri annum incidit sexingenti triginta nouem.

Muliebri facinus in extrema fame, Multi iudæorum exenterati sunt Hierosolyma capitur, & cæde passim in iudæos grassatum est, numerus iudæorum ab initio obsessorum.

Caput

VII

Iudæi in arctum compulsi, & si nulla spes reliqua erat presentibus malis defungendi, nisi cum morte durare tamen. Caterum nihil erat quod magis ani-

*Templum in urbe voluit
viri.*

Deflagrauit templum.

Herodes.

Sacerdotes in urbe.

*Excidium templi disceptatum
Babyloniam remanuerunt.*

*Templum restituit
1130 annis & 7 menses.*

mum infringeret quam fames, Iosephus auctor est / per eos dies quibus templum deflagrauit, tragicum facinus, & quod vix apud posteros inueniat fidem / a muliere genere & diuitijs nobili perpetratum. Erat hæc ex Veterbra trans Iordanem vico Peræ regionis, vt Egisippus videtur significare, quæ ingruentium periculorum metu Hierosolymam cum suis popularibus perfugerat. Intolerabili igitur fame adacta / infantem filium occidit, ac dimidio consumpto, quod reliquum fuit Tyrannorum satellitibus, qui omnia procacius scrutari, vt obsonia domesticatim raperent / sponte obtulit. Illi rei atrocitate parumper defixi, primo facinus detestari, inde mulieris fortunam miserari, rem omnem Tyrannis deferunt. Fregit rex tam atrox illorum animos, vt qui nunq̃ ad id tempus de deditiōe cogitarant. Tum demum cum Tito de ea re in colloquium venerint. Sed quū sera nimis pax tentaretur, ac propemodum capti pro liberis dimitti vellent, re infecta paucos adhuc dies vrbs defensa est. Interea innumeri mortales fame stimulante in castra ex vrbe transiuerunt, Horū numerus ingens nullo fere precio venditus. Sed quum hæc fierent, transfugarum vnus obseruatus est / aurum legens ex corporis excrementis. Peruasit rumor castra, Iudæos plenis auro visceribus transfugere ad Rhomanos, nam prius quam vrbe egrederentur nudi a satellitibus statuebantur, ne quid auri alteriusue rei secum asportarent, quæ ipsis aut hostibus vsui esse posset. Ea fama temere vulgata in causa fuit, vt auri cupiditate ad duo millia Iudæorum vna nocte exenterati sint, multo plures adhuc eo mō perituri, nisi Titī intercessisset edictum / nec quis vinctos interficeret. Vrbs postremo vi capta est. Fuiſſetq; cædes per omnem sexum & ætatem euagata, nisi edictum fuiſſet vt inermibus parceretur. Direpta primo vrbs / mox incensa est, ac magna ex parte diruta, tantū ædificiorum relictum, vt satis esset ad præsidium tuendum, & cum his Hippicus Phaselus & Mariannes turres, Materia & proceritate visenda / vt monumentum essent in multam ætatem vrbici apparatus. Excisa est Hierosolyma octauo die Septembris / quinto ferme mense quā obsideri cœperat ex captiua multitudine Titus decem & septem millia robustiore ætate Alexandriam misit / omnes operibus destinatos, minores natu sub corona vendidit, duo millia per vrbes et prouincias distribuit, vt bestiis spectaculorum diebus obicerentur. Fuit omnis captiuorum multitudo / numero septem & nonaginta millium, quum ab initio decies centum millia obsidione fatigari cœpta sint, quorum pars multo maxima fuerit peregrinorum / non ciuium, omnes tamen Hebraici sanguinis. Pudet a Iosepho dissentire, qui hunc numerum in historia posuit, & quod Hebraeus sit, quodq; his quæ tum in Iudæa gesta sunt interfuerit. Sed miretur iure aliquis / quonam modo vrbs alioqui exigua, quæ suo esset circūitu triadumtaxat & viginti stadia complexa, tantum mortalium numerum capere potuerit. Verum multo magis miretur quod idem auctor prodidit, Cestio Iudæam procurante paschalibus festis caesa fuisse ducenta quinquaginta hostiarū millia, quum tot nec pauciora essent tabernacula, quorū singula decem haberēt viros qui victimalibus vescerentur carnibus, atq; ita initum a pontificibus numerum / vt vicies septies centum millia hominum a nona diei hora ad vndecimam (Nam id erat legitimum agēdi tempus) vno die sacrificasse, præter aliq̃s lepra infectos / & qui genitalis seminis fluuium

*Mulier famo impia
filium occidit.*

*Aurum colligit
excrementis*

Capitulum Hierosolymæ.

Numerus Iudæorum.

*Exigua vrbs multos
excepit.*

Cestio in paschalibus festis q̃ capi sunt.

EXCIDIVM

paterentur/mēstruasq; mulieres, quæ gentili lege sacro arcebantur. Sed fides sit apud eum qui hæc tradidit. Incidit Hierosolymæ excidiū in alterum annū Vespasiani principis, qui millesimus fuit, si integer est apud Iosephū numerus, centesimusq; & septuagesimus quartus ab eo quo vrbs ipsa fuit condita. Eius conditiōis auctor non Moses, vt Strabo existimat, sed Cananæorum rex potentissim⁹, cui patria lingua Iusto nomē Is erecto ibi templo locū Hierosolymā vocauit, quum prius Solyma vocaretur. Cananæis inde eiectis Leobius Iudæorum rex suis habitādum dedit. Quadringētesimo deinceps anno quartoq; & sexagesimo a Babylonīs euerfa est. A Leobio qui prius ī ea regnauit ad Titianū excidiū anni mille centū septuagintaquattuor interfuere, suntq; horū auctores Iosephus & Egisippus.

De Hierosolymorū conditiōe sermo, Varia prodigia & vox pphetica excidium illud præsignauerūt.

Caput

VIII

Synonyma Hierosolymæ.

Est & alius adhuc sermo de Hierosolymorū conditiōe, vt Luça fuerit ab initio locus dictus ab Amygdali arbore, q̄ frequēs his locis nascere, mox Bethel, q̄ vox id valeat q̄ domus dei. Melchisedechus qui iustus rex dici potest/primus munivit, vt aiunt quidā, dixitq; locum in vrbs speciem constructum Salem. Cæterū quum Hebusæj id oppidum postea tenuissent, ita accidisse, vt Niebus sit nūcupatū, atq; inde factū vt vnus alteriusue litteræ mutatione duæ voces in vnam coaluerint, sitq; vrbs Hierusalem nūcupata. Celebrant & aliam Hebræi opinionē, vt Salem Melchisedechus dixerit, inde quum ibi filium obtulisset, Hiere locū appellasse, fieriq; cōtigisse ex duabus vocibus nomē vnum. Hieronym⁹ Salem urbem iuxta Scitopolim procul inde abfuisse arbitratur, nec videri sibi ex græca & barbara voce id nomē conflatum. Sunt qui Solymam quasi Salomonyam interpretentur/a Davidis filio, qui eā ampliavit. Iam satis constat multas post ætates Heliam esse dictam, ab Helio Hadriano/qui eam instauravit. Sed quæcūq; fuit nominis ratio & origo loci, utrūq; enim parum liquido traditur. Fuit Hierosolymitani excidij annus mūdane originis secūdus & septuagesimus supra ducentesimū ac quinquies millesimū, ab Rhoma vero condita octingentesimus centesimus quintus, ab eo quo Christus passus est quadragesim⁹. Et Hierosolyma orientalium vrbium nobilissima hunc exitum habuit, Cecidit Hierosolyma eo minus miserabilis, quo ob suam impietatem magis merita est id excidiū. Nulla vnq; terra prophetarū partu foecundior, nulla tamē pphetis ipis magis infesta, nec gens vlla sanctioribus creuit inijtis, nulla maioribus polluta sceleribus iusti⁹ corruit. Estq; id exitiū quod ipsi vrbi & vniuersæ gēti instabat, manifestis antea signis demonstratū, nec signis tantū, sed prophetica etiam voce, vt pœnitentia agi potuerit, & dira scelerum vltio declinari propiciato numine, nisi obstinatio amentiam peperisset, amentia rerum omniū obliuionē, vt pietatis & iusticiæ immemores/cæci in suū exitiū ruerent. Sidus gladij figura in coelo apparuit vrbi imminens Aqimorum die, qui octauus erat mensis Aprilis, nona noctis hora circa maximā arā templi tantum lumē effulsit/vt dies putaretur illuxisse. Eodem die quum bos ad aram traheretur/medio templo peperit. Aenea porta interioris templi, cuius ostia viginti simul viri remoliebant/ferreis seris aeneoq; occlusa pessulo/sexta hora noctis sua sponte patuit, Et vndecimū

*Tempus Vbi Aram gladij
Hierosolymæ.*

SIGNA

Sidus gladij

Lux

Bos gladij

Aenea porta apertus

Civitas in aere.

Calē. Iunij visi sunt per aerem currus diuersis coeli regionibus vagari, & armate acies tranare nubila nocte quæ diem pentecostes præcessit, sacerdotes intimum templum subeuntes sacrorū causa, strepitum primo quendā senserunt, inde & vox est ex proximo reddita dicentis, Migremus hinc. Et si non desunt qui sub id tempus hoc accidisse tradant, quo Christus passus est. Iesus quidam Anani plebei, rusticiq; hominis filius, quum ad solenne sacrum venisset, quo in templo statuebantur Atthe gie phanatico spiritu, repēte impulsus exclamare cœpit, Vox ab oriēte, vox ab occidēte, vox a quatuor ventis, vox in Hierosolymam/et templum, vox in sponfos et nouas nuptas, vox in omnem populū. Hæc inter diu noctuq; vociferans urbem circūibat. Sæpiusq; correptus verberibus, ab his qui vocem vt ciuitati ominosam auersari, nihilo secius id facere. Perductus inde ad Romanū præsidem/ & ad ossa vsq; flagello laceratus, nec supplex quicq; locutus est, neq; lachrymā supplicio dedit, sed tantū illud in ore esse, Væ væ Hierosolymis. Albino autem qui tum iudex erat, quærente ex eo quid sibi vellet, aut cur ita insaniret, nihil respōdit. Per quē stultus ab Albino iudicatus dimissus est. Ipse septem cōtinuos annos haud adiit quemq; sed velut orationē meditatus, assidue illud dicere, væ væ Hierosolymis, nec in assidua q̄rela est vnq; raucus factus. Postremo vrbe a Romanis circumfessa, quum muros circūiret, væ ciuitati clamitans, væ templo, væ vniuerso populo, factum est vt & illud insolēs adiecerit, væ mihi etiā, atq; in ea voce hostili tormento ictus concidit. Titus Hierosolymis captis / incensisque, ac maiore ex parte euersis, præsidio ad circumiectam regionem relicto, ad Euphatem vsq; processit. Erat tum is Rhomani imperij finis.

HANC HISTORIAM HEBRAEORVM EX ENNEADI

bus Marci Anthonij Sabellici per Ioannem Kusthuert Veissenstatensem diligenter excerptam, qui voluit studiosis hoc labore cōsulere, teneros inquam adolescentes animos ad sacras litteras velut illectamento quodam prædulci subinuitare,

Opus verumtamen tam præclarum / prouidus vir

Lodouicus Hornken nuper Basileæ ære & im

pensis proprijs, per Calcographiæ gnarum

Adam Petri de Langendorff, eiusdem

ciuitatis ciuem imprimi fecit / Ad

Idus Martias, Anno domini

Millesimo Quingētesimo

mo Decimo quinto

Ad laudē dei q̄

est benedi-

ctus in

sæcu-

la.

A

M. E.

X